ORATIO HABITA AB ELOQUENTISSIMO VIRO. F. THOMA GUICHARDO RHODIO, IURIS...

Thomas Guichard

1021 23

ORATIO HABITA AB eloquentissimo Viro. F. Thoma Guichardo Rhodio, iuris utriusq; Doctore, Illustrissimi Hierosolymitanę Religionis Magistri Oratore, coram Clemente. VII. Pont. Max. in qua Rhodiorum oppugnationis & deditiōis summa continetur.

Oratio habita ab eloquentissimo uiro. F. Thoma Guichardo Rhodio, iuris utriusq; Doctore: Illustrissimi Hierosolymitanæ Religionis Magistri Oratore, coram Clemente. vii. Pont. Max. in qua Rhodiorum oppugnationis & deditionis summa continetur.

MVLTA me dehortabantur. B. Pater Clemen Pōtifex Maxime: ne in sacratissimo planeq; uerendo tuæ. S. conspectu, celeberrimoq; tot illustriū (uere dixerim) Heroum cōcessu, grauissimū orandi munus susciperem. Nescius quippe nō erā, quam præstanti ad id obeundum mihi opus foret ingenio, summa doctrina, insigni facundia, multipliciq; ac plena dignitatis dicendi facultate. Quibus sane oībus, ita me & natura & studio destitutū aīaduertebā: ut uel sola nō modo perfricunde, sed neattentāde quidē tantæ rei cogitatiōe, trepidarē, uehemēterq; cōpauescerem. Reuocabat me insup tenuis eaq; inucūda rei, de qua dicturus sum, & uulgatissimæ & tristissimæ expectatio. A cuius pfecto cōmemoratione, quasiq; acerbissimi doloris retractatione, sic abhorret animus ac resilit: ut non eloquendi facultatem, sed lachrymas, copiam, gemitus, creboraq; suspiria tāti casus recordatio mihi suppeditet. Quæ tñ res, parū meę suffragatę sunt excusatiōi: quominus paterer tandē inuicta parēdi necessitas: meq; supra uires niti, & plusq; prestare posse audere coma-

pulerit pręsens Hospitalis hierosolymitani Magister Frater Philippus de Villerslileadã: qui me hic eius totiusq; ordinis sibi cõmissi nomine profari iussit. Quo fit, ut sola mihi supersit admirabilis tuę beatitudinis mansuetudo immensaq; benignitas, propenso cuius fauore, uelut præsenti quodam numine fretus: nonnulla prius summatim attingam, quę inuisissimum Christianę gentis hostem in nostrum tandem exitiũ impulerunt. Mox intermissa rerum semestri in oppugnatione gestarum narratiõe: quibus singillatim memorandis longa pscribenda foret historia, pręcipuas Rhodię deditionis causas exponã. Postremo nõ oblitus instituri mortisq; antiqui, agam calamitoso hoc tẽpore, quandoquidem lęto non licuit, solitam Hierosolymitanę Religionis huiusce Magistri totiusq; cõuentus erga tuam Beatitudinem, in supremi pontificatus apicem nuper assumptam, Venerationem, ac humillimam illibataq; obedientiam, & submissionem. Soltanus itaq; Soleymanus Duodecimus otho manę familię Tyrannus, crebro secũ animo uoluens quonam memorabili facinore pręcelleret, seq; non cõseruandis solum duodecim opimis Asię Regnis & tribus Imperiis a patre sibi relictis, sed etiam longe propagandis quietiusq; regendis aptum mortalibus indicaret: Capto prius Tauruno uulgo Belgradu oppido apud Pannonios & situ & opere ualidissimo; in Rhodi oppugnationem animum intendit. Nec iniuria quidem. grauiter nanq; ferebat eam insulam plus

ferme iniuriarum/direptionum/cladium/innumera/
bilium q; dispendiorum Turcis intulisse: quam uel
ceteras omneis Christianor gentes & prouincias. Do
lebat insuper formidolosam semper fore suor navigā
tionem, per Cyclades Insulas, reliquaq; ditioni suę cō
tigua Christianorum loca: quę a tritemibus & diuer
sis Rhodiorum nauigiis cōtra Turcarum latrocinia
infestationesq; cōtinue defensabantur. Indignabatur
præterea metu Rhodiorum passim incutsantiū, Ae/
gypti, Syrię, totiusq; pene orientis ab hinc Sexennio
subacti uectigalia & tributa in Byzantiū tuto cōuehi
non posse. Occurrebat ad hoc ignominiosa suor stra/
ges uindicanda, alia in Rhodum obsidione truculen
tissimi proauu sui tempore perpessa: in qua celebris il
la Rhodiorum uictoria diuinitus præluxit. Incitaba/
tur demum assiduis ac eisdem intolerandis suorum
in Rhodios, a quibus offensi fuerant, clamoribus &
querelis. Vrgebant postremo sequissimum Hostē non
nulli Turcarum primores: quos non tam oppugnā/
dę Vrbis nostrę, quam diripiendę cupiditas incesse/
rat. Sunt etiam qui affirment, Tyrannum hunc ab
eius genitore morti propinquo, execrabili sacramen/
to adactum: ut cumprimum sibi liceret, in Rhodios
expeditionem pararet. His igitur accensus, solā Rho
don, ut sibi suisq; infestissimam mente concipit fun/
ditus excindendam. Proinde cum intelligeret Chri/
stianos Principes exacerbatis interse odiis, asperri/
misq; discordiis conflictari: cūctaq; in occiduis Bello

flagrati,cędibusq; miſceri: futurum coniiciens,quod utiq; poſtea obtigit,nullum uidelicet,aut perexiguũ atq; idem ſerum Rhodus laturos ſubſidium:nihil ul tra differẽdum in tali occaſione ratus: milites undiq; acciri,exercitum cogi, ueteresq; claſſem refici,nouã fa/ bricari,arma/tela/machinas apparari,omnis generis cõmeatus adduci,cęteraq; bellico uſui neceſſaria ex/ emplo cõparari iubet.Quibus celeriusquam cuiquã credibile eſt, confectis:& iam in procinctu paratis: Rhodios per literas ad dedition ẽ hortatur, alioqui ſe confeſtim aduenturum,& muros ab imo ſubruitu rum enunciat. Rhodus uero nihil conſternatus expa uefactiſue, mira quędam aduerſus tanti belli terroꝛ ẽ increſcit audacia:pleniq; animorum & uirium,Hoſtẽ opperiuntur imperterriti:ſeq; fortunam omnem pro fide,patria,& penatibus ſubituros cõclamant.Pauci dem de interiectis diebus,egreſſa iãpridem ex Byſan/ tio Turcarum Claſſis,natali Diui Ioannis baptiſtæ Chriſti pręcurſoris celebritate in Rhodus applicuit: breuiq; interpoſita mora,terreſtres copias ex hiyę cõ/ tinẽti tranſuexit.Conſtabat ea claſſis ex Triremibus aliiſq; non longe abſimilibus nauigiis,prope trecẽtis Hoſtium uero numerum ueritati propius eſt:ducen/ torum plus minus fuiſſe millium.Ex quibus ſexagin ta ferebantur eſſe Metallicorum millia:qui ſuffodien dis cuniculis tantum uacarẽt.Reliqui autem quibus & quam uariis armorum generibus inſtructi acceſſe rint:quotue & quam immania tormẽta ad quatiẽdos

muros aduexerint: breuitas præterire cogit. Vere mihi tamen hoc uideor esse dicturus: omnes tam flammato studio, nec sat scio, maioribus ne odiis an uiribus, in nostram pernicies certaturos accurrisse: ut sibi uincendum mihi, aut moriendũ animis obstinarent. Qd cum idem quoq; semper extiterit cõstantissimũ Rhodiorũ propositũ: credi nix potest, quã infensis utrinq; animis compugnatum sit, atrociterq; ꝯquitum. Qua in re, tametsi uix sexcẽti ordinis nostri milites & quinq; Rhodiorum millia essent: qui tractandis armis & ætate & uiribus idonei forent: tantum nihilo secius abfuit, ut paucitas ipsis animum imminueret: ut non solum arcendi Hostis, uerum etiam ultro lacessendi feruore accenderẽtur. Post aliquot itaq; dies, in trajiciendo exercitu, conuehendis commeatibus, exonerandis in littus farcinis, speculandis locis, figendis tentoriis atq; (ut fieri assolet) rebus ordinandis transactos: Cœpta est, illa omnium post natos homines acerrima Rhodiæ Vrbis oppugnatio. Quam maximopere stupendam efficiunt, potentissimus imprimis turcarũ exercitus & terra & mari adprime tremendus: mox ingentes nullibiq; locorum tam horrendæ molis funbũdiq; impetus Machinæ, saxeos globos septẽ, octo quoq; & nouẽ palmotum rotunditatis interdiu noctuq; torquentes: quibus non crassissima mœnia tantum quati, sed mõtes etiã ipsi subuerti potuissent. Quadraginta insup & quinq; cuniculi: ex quibus licet duos & triginta transuersis suffossionibus excorperimus:

& clam cœptis obuiam itum fit: reliqui tamen terrifi
ca suppositi ignis ui erumpente, permagnam muro-
rum & propugnaculorum partem imis sedibus diſce-
cerunt, cunctaq; propemodum dissilire fecerunt. Acce
dant eodem oportet, quoniam ea parum processisse
uidebantur: densissimi passim terræ aggeres, quibus
tecti hostes urbi admouebantur: moniq; longe altius
muris ex humo cõgestus: quem ab octingentis plus-
minus passibus ad urbis usq; fossas prouoluerũt. Ad-
de iis postremo peruicacissimũ sex mensium in op-
pugnãdo laborẽ, quindecimq; cosli.ctus aspertimos,
in quibus fœdissima cum Turcarum strage (annuen
te deo) uictores semper fuimus: aliaq; pene innume-
ra, quæ ne longius consecter & loci & temporis ratio
uetat. Supprimi tamen haud potest, notum tam run-
ctis & testatũ proditionis facinus: in quod exarserat
nefarius ille, non sine diris execrationibus nominan
dus, Frater Andreas Damaral Portugallensis/nostri
cõuentus Cãcellarius. Qui cũ defuncto inclytę recor
dationis fratre Fabritio de Carretto, uiro undecũq; pru
dẽtiss mo laudatissimoq;, mira quadã dominãdi cupi
dine magistertũ appeteret, ubi primũ præsentẽ bune
Magistrũ ardua Religiõis negocia tũc in gallus stu-
diose procurantem, & nil tale cogitantem, in demor-
tui locum uidit subiectum: tanta fremuit indignatio
ne, tanto arsit dolore, ranta demiq; percitus est uecor/
dia: ut nihil haberet pensi, si Religionem ipsam, quã
ideo perosus erat, propriq etiãnum salutis discrimine

perditum iret. Crebrescente ergo fama Turcarũ Tyrannum omni studio & conatu expeditionẽ in Rhodios molirj:eum uti propere acceleret, per unum ex suis seruis, conflctæ redemptionis prætextu ex compositu in Constantinopolim missum, obnixe solicitat; reiq; gerendę tempus adesse significat. Mox consultãtibus magistro & concilii proceribus, de aduocando quamprimum subsidio, implorandaq; Christianorũ principum ope: instanter reclamabat, nihil tam cito opus esse: compertissimum sibi fore dictitans, Hostẽ alio pergere: atq; ita complures in suam trahebat sententiam. Obsessa deinde Rhodo, conferraq; pugna, quoties uiri rei militaris periti/obstrui, excauari, tolerj, prȩmunirique quicquam intus debere edocebant; quo & hostilis impetus ualidius sustinerj, & Vrbis defensioni intius prospici posset: solus ille assentientibus cæteris, acerrime dissentiebat. Qui ut ocyus perficeret quod conceperat nefandus proditor: p litteras balistæ telis alligatas, partim a se, partim a quodam eius famulo, in hostilem campum missas: sæpe Tyrannũ de iis, quæ domi agebantur prȩmonebat: consilia aperiebat, ne absisteret hortabatur, breui Vrbe potiturus, sumptusq; omneis ex Rhodiẽsi præda eum, supra uota, resarciturum asserebat. Quo tandem famulo interceptο, & re patefacta (nec enim dissimulari tantum scelus poterat nec latere) uterq; proditiõis accusatur, patronus ueridica famuli unius; spectatæ probitatis presbiteri Rhodii confessione ac testimonio convin-

eitur. Primus itaq; pœnam luit præfatus maleficii ad
miniſter, qui ad extremus uſq; uitæ ſpiritum, in eadē
perſtans confeſſione: nullam (ait) mortis, quam iure
quidem ſus promeritus. expoſco uenia: nec ſonti, igno
ſcire, ſed morituro tantum bene (quæſo) precemini.
Pergenti ad ſupplicium patrono, cum facta quędam
intemeratæ Virginis pſentaretur imago: aufer a me
(inquit) perfidus, lignus iſtud: atq; ita capite mulcta-
tus eſt. Sub idem fere tempus, paulo tamen ante, dete
cta eſt alia quoq; proditio cuiuſdam iudæi xpianus fi
dem falſo profitentis. Qui ſe hoſtis iuſſu Rhodū ac-
ceſſiſſe faſſus eſt: ut eam circunſpectius exploraret, &
ſi fors aliquando tuliſſet, prodere fatageret. Quo in ne
gocio mirum eſt, quā ſedulus fuerit & uerſutus: nihil
enim Rhodi actum, nihil tentatum, nihil denię uul
gi ſermone agitatum: quod non ſtatim Turcis ſignifi
candum curauerit. Hinc itaq; effectum eſt, ut non ſo
lum cum ferociſſimis hoſtibus dimicatum ſit: ſed cus
proditione & perfidia præmiſſorum. De quibus quo-
niam eo tempore ſumptum eſt ſupplicium: quo tam
totius rei ſumma grauiter periculabatur, longius me
in his progredi non ſinit, multiplex deditionis expli
canda ratio. POST tot igitur pugnas innu-
merabileſq; ſphericorum ſaxorum ictus, quibus ſi-
mul & præuaſtis cuniculis diruti quattuor in locis
muri facilem hoſti pandebant aditum: cum eo uen-
tum eſſet, ut ſex & triginta dierum ſpacio, ligneis
tantum uallis ac obicibus interpoſitis, res comunis

geretur cum hostibus, ad quinquaginta supra centũ passus intra Vrbem suffodiendo paulatim immissis: Turcarum Tyrannus ad colloquium nos euocari, & deditionis legem proponi iubet. Quod simulac perceptum est, repens in Vrbe uarie (ut fit) dissidentium oboritur contentio. Tunc Magnanimus hic Rhodiorũ princeps, qui iamiude ab initio bellaci quodã ardescens spiritu, nullis se unquam subtraxit periculis quominus uitę contemptor, Vrbis saluti consuleret: militesq; pugnãdo magis quam hortando animaret: in medium prouolat, & quisnam uos (ait) strenui cõmilitones dilectiq; Ciues rumor transuersos agit? Quę ue animis iniecta uos interturbat anxietas? cur non potius una omnes in Hostem irruimus, solita excipimus uulnera, mortem oppetimus, ac debitã fidei patrięq; pietatem exoluimus? Haud multo post, cũ formus instaret Hostis, & perforatis undiquaq; uallis nostros passim sterneret incautos: adeo, ut nec collapsa denuo instaurandi, nec ullum nobis respirandi daretur otium: cuncti, rebus impensius diffidere, præsidia deseri, stationes a paucis ac eisdem grandi mercede conductis tutari, omniaq; segnius geri coeperunt. Quapropter uigilantissimus Rhodi Magister, conuocato frequenti ordinis concilio, usq; scipue, quibus militum/munitionũ/& cõmeatuũ cura demãdata fuerat: rei periculũ exponit, & defensionis, siquæ excogitari possent, remedia quærit. Quo prolatis omnium sententiis nulla prorsus occurrerũt

præter illa, quę salutem desperantibus relinquũtur. Id quod intelligi facillime potest, ex his quę subnectã. Rhodiorum siquidẽ Bello adhuc utilium pauciras, uix ad mille quingentos redacta, atq; eos quidem incessabili armorum gestatione attritos: perdiis noctuq; excubiis fessos: macie confectos/ac irrequieto ex mentium labore, nulla unquã uelut tacitis induciis quicte sumpta, cõfractos: Munitiones Rhodi & quę durante obsidione ex Coo insula & diui Petri Castro in Caria sito, aliisq; Religionis arcibus clam per umremes conuectę fuerant, penitus absumptæ: Commeatuum præterea aliarumq; rerum ad belli usum necessariarum, crescens indies penuria: Hostis quoq; ab urbe propellendi uis adempta: & (quo maxime obsessorum animi decidebant, uiresq; deficiebant) externi subsidii (fortuna aduersante) sublata spes omnis: manifestam humanæ opis in tutanda amplius urbe desperationem arguebant. Ex qua sane re, cum ineuitabile propediẽ mortis fatum nobis immineret: effici non potuit, quin maxima commiseratione noster permotus sit acriterq; ingemuerit animus: ob immanem hostis ferociam, qua Rhodianam in plebem, nullo sexus aut ętatis habito discrimine, sęuiturum liquido concernebamus. Nam quę Scythici Caucasi rupes, qui nemorum specus, quę tam horrendæ Indorum solitudines, tantæ unquam atrocitatis feras aluerunt: quas in discruciandis rhodiis non feritate superasset immitis Tyrannus? uersabatur insuper ante oculos angebatq; nos plurimum, labore-

ſa & forteſſis nulla poſt nos futura religionis noſtræ inſtauratio. Quippecũ in diuerſis orbis ptibus neuti quam defuerint, qui rem aliter ſucceſſuram autumantes, de eius iam beneficiis & prouentibus occupandis uſuiq; priuato adſcribẽdis cogitarent: feciſſentq; haud dubie ni mirifica pię memorię Anteceſſoris tui Adriani prouidẽtia reſtitiſſet: perſpicueq; declaraſſet magnæ curæ eam Religionem ſibi fore. Quibus omnibus adducti, ut interea ſacroſanctas omittam reliquias, quas Turcenſis conſpurcaſſet obſcœnitas, deditionis cõuentionem adhortantibus præcipuis Rhodiorum ciuibus tandem admiſimus. Qua facultas nobis dabatur, diebus decem Rhodo decedendi, & res noſtras quo luberet aſportandi: remanſuris uero ciuibus & inſulanis, quinquennalis tributorum & quorumuis onerum promittebatur immunitas: iisautem qui inde abire uellent, p totũ proximum trientiũ alio commigrandi ſecuritas: nullaq; poſtremo puerorum in fidei abnegationem compulſio. factum proculdubio, quod ſi ad calculum reducatur, & ueris quas obiter attigi rationibus expendatur: laudi potius quam culpæ uertetur ab his, q re parum cognita, nos incriminantur & deliquiſſe contendunt. Sed cum res humanæ ita ſeſe habeant: ut in uictoriis uel ignauis gloriari liceat: aduerſæ res etiam bonos detrectẽt: æquo id quoq; inter alia animo. Non ignari ſuum cuiq; loquendi quod ſentiat relictum arbitrium. Quod tametſi multis ſæpe de cauſis, a uero deflectat: ſola tamen rei & impigre & fortiter ge

quæ nos ſolatur & recreat conſcientia. Quod potuimus enim uel ſupra uires præſtitimus, plus uelle q̃ poſſe in animo quidem fuit: ſed poſſe tantum ita ualuit; ut nec hoſtis quod pertinaciter connitebatur effecerit, & nobis quod minime opinabamur euenerit. Quod non aliunde factum credimus, quam ab immenſa omnipotentis dei clementia; qui tot piis fidelium precibus & votis, q̃bus p̃ incolumitate Rhodi iugiter excubabãt, motus: ſeueriorem ultionem in mitiorem pœnam conuertit: efferumq; Tyrannum iam ad palmam erectum, deditionem petere ſubegit; ut nos a morte ad uitam, a deſperatione ad ſpem, ab exilio ad p̃ſentem ſalutem reuocaret. Quanquam ad id quoq; mouerent hoſtẽ, Coa inſula, diui Petri Caſtrum: & tria oppida in uerticibus trium montium Rhodienſis inſulæ ſita. Quorum expugnationi non parũ cum laboris tum ſanguinis ſe impenſurum uerebatur: neſcius bellicas eorum locorum munitiões clam (ut dictum eſt) in Rhodon ſubuectas. Animaduertebat etiam ſupremã irruptionem non ſine cruentiſſima ſuorum clade fieri poſſe. Ex quibus tenebat conſtantior inter ipſos fama, octoginta pluſminus ad illum uſq; diẽ bello morboq; abſumpta fuiſſe Turcarum millia: quamuis pleriq; centum, non pauci uiginti ſupra centum affirmarẽt. Quinto itaq; die, ab eo quo datis utrinq; obſidibus firmata eſt deditionis pactio: quo die ſaluti fera Chriſti celebratur natiuitas, miſerabilem Rhodon ingreſſa eſt, eiq; ſeruile lugũ impoſuit, uictrix Turcicæ ſeeditatis Colluuies. Quo quid

(per ſuperos quęſo) ægrius ferẽdum; acerbius dolendũ grauiuſue lugendum uniuerſo Chriſtianorum generi contingere poterat? Etenim capta eſt illã omnium inſularũ citra controuerſiam & nobiliſſima & celeberrima, ubi quattuordecim ſupra ducentos annos, tot enĳs militaris noſter in ea uigui tordo, firmiſſimum Catholicæ fidei contra turcenſem perfidiam conſtitit præſidium; unica Chriſtianæ gentis in oriente tutela; peregrinantium diuerſoriuȝ; naufragorum portus: miſerorum ſubuentrio; pauperum alimonia; languidorum xenodochiũ nullibi terrarum pulchrius aut magnificẽtius, totiuſq; ærumnoſæ græciæ protectio/ iuuamen/ atq; perfugiuȝ. O ſortem iniquam. O luctueſiſſimum caſum. O perpetuo deflendam Rhodiæ urbis amiſſionẽ. O deniq; grauiſſimam & uix ullis reparandam ſęculis Hieroſolymitanæ militiæ, immo totius Chriſtiani populi, iacturã. Exanimãt nos profecto atq; ſubinde enecant, uges illę q̃rimonię, quibus captiua Rhodos ſuã deplorat ſeruitutem. Heu heu me infœlicem in quantã delapſa ſum (inquit) calamitatem; quantum in me malorum exundauit pelagus; quam atroci premor Tyrannide: quam tetris adiratæ naturæ monſtris inſeruio: quãta polluor fœditate; qbus diuexor flagitiis: quo circũuenior aſtu: quot expilor rapinis; quantis afficior cõtumeliis: qbus crucior angoribus; quãtis deniq; uel ipſi hoſti miſerandis afflictor malis. Quis tam barbarus/ tam immanis/ tam ferus/ in tanta meę ſortis acerbitate fletũ & lachrymas cõtineret? Huccine mea erga Chriſtianam rempu

blicam beneficia euafere? iis ne pẽſan tur præmiis? hoc mea in oẽs demeruit pietas? Quid enim ſtudii/ quid laboris/ quid officii/quid , quod meę præſtare quiuerint uires,prætermiſi:quod pro cõmuni Chriſtianorum ſalute,frequenti cum meorũ cęde non ſemper impenderim? Quod pyratarũ latrocinia ſuſtuli? quot naues ab hoſtibus captas liberaui? & quoties ne permultę capererẽtur obſtiti? quot captiuos e uinculis exemi? quot ſeruos in libertatẽ aſſerui? quibus nõ ſuppetias tuli? quos non opibus iuui? uirtute adauxi, omniq ſincerę Caritatis affectu ꝓſequuta ſum? Agnoſcũt hæc nimio plus quam uellent Aegei maris inſulę cunctaq Chriſtianæ plebis oppida per orientem ſparſa.Quæ cum hactenus nihilominore cura,quam me ipſam a crebris Hoſtium incurſionibus tutata ſim:nũc ad uictorũ (proh dolor) inſolentiam/crudelitatem/prædam/arq libidinẽ expoſita,quo ſe nã miſera uertent? quem obteſtabũtur? quẽ implorabunt? O ſpem fallacẽ,O cogitationes meas inanes.Siccine ueſtrum Chriſtiani principes mihi ſperandum erat auxilium? ut dum aduerſus cõtractas tonus Aſię,nec exiguas Europę,uires:ſola pro Chriſti fide publicaq ſalute certarẽ: a uobis indefenſa impieq negletta hoſtibus proſligãda deſererer? Nullane uos Rhodi miſeratio cœpit? Quæ periculum quod in oẽs intendebatur auertit.quæ diſtractos a multorũ iugulis gladios depulit. quæ tam exitialẽ ac funeſtam peſtẽ Chriſtianitati,horrenda cum uaſtitate,ingruẽtem ſuo reſtinxit excidio.quæ demũ ut cęteris prodeſſet,ipſa ſe tandẽ

perdidit. Sed iam plus satis Rhodię urbis lamentatio/
ni datum, cui ut ipse quoq; in tanta ui ęgritudinis, ma/
ximaq; rei indignitate nonnihil indulgerem; pietas me
cõpũlit amissę Patrię. Quę tãto doloris sensu meũ exul
cerauit animũ; ut ois, quãtula in me cunq; fuerię, ad di/
cẽdũ alacritas penitus elãguerit. CETERVM de cur
sis a me strictim iis q̃ ad Rhodi oppugnationẽ simul &
deditionis causas ptinere uisa sunt: superuacaneũ est
beatissime Pater, ea nũc referre: q̃ post calamitosũ euẽ
tum, usq; ad nostrum in hanc almam Vrbem acces/
sum, & terra & mari pertulimus. Tum quod nota pẽ
uulgataq; sint, tum leuandi tędii gratia, quod sermo/
nis longitudine uobis iam obrepsisse uideo: tum uel
maxime, ne recentem Põtificatus tui gratulationem,
longiori tristium rerum cõmemoratione perturbem:
A qua parum quidem profuturæ facessant querelæ:
lętisq; acclamatiõibus excipiatur lux illa, quę tot in/
sanis bellorum moribus, cõcusso terrarũ orbi: spem pa
cis attulit singularem. Quę certissimam christiani no
minis Hostibus profligationẽ interminatur. Hoc est,
qua præcellentes animi dotes quęq; uirtutes tuę (diuina ad/
spirante clementia) te Patrem optimum clementissi/
mumq; in hoc summi Apostolatus fastigium euexe/
runt. Te inquã, cuius tot egregię summis uirtutibus
partę laudes eluceſcunt: ut nulla sit orationis ubertas,
nullus dicẽdi uigor, qui in eis percẽsendis cõdigneq;
extollendis non uehementer exudet atq; satisfat. O
diem illum faustum, qui tibi lucis auspicia protulit.

O beatam Medicum familiam, quę tanto gloriatur alumno. Ea. n. est, primaria inclytę Florentinorum Ciuitatis domus: cui generis claritudo, opū affluentia, numerosus insignium uirorę p:ouētus, exactissimaq; totius uirtutis obseruantia decus peperit sempitetnū Eoq; magis, quod peculiari quodā amore, uelut a natura insito bonarum Artium disciplinas ita semp amplexa est: ut cunctis eaę professoribus, nulla toto in latio domus liberalior officiosiorq; patuerit. Ex qua non pauciores mę hercle uiri prodierūt, toga belloq; clarissimi: quam ex multiplicibus Athenarum sectis memorabiles Philosophi. eximia quoę facinora, non est, cur hoc loco memorē: tū quod celebriora sint, quā ut ulla egeant attestatiōe: tum quod in tuo censu nunquam reponenda duxeris, quę maiores tui prudenter strenueq; gesserunt. Nam, & si minime diffitendum est, quin te ad uitę decora tanquam domesticę laudis exempla prouocarint: usq; eo tamen a puerilibus annis tuopte ingenio ad præcelsi cuiuspiā honoris summæq; amplitudinis gloriam annixus es: ut iamtum non uulgatem quandam de te omnes conciperent expectationem. Nec id quidem leui (ut interdum euenit) argumento, sed facili coniectura. Quid enim aliud preclara tua indoles, ornatissimi mores, uitæ cādor, probitas, modestia, equitas, constātia, altaq; prudentia & in uiridi ętate cana maturitas spondebant: quam excellens quidpiam & sublime: quale nunc ętatiæ pleni suspicimus & ueneramur? Eo accedebat,

mira quędam in quibuſuis ſacroſanctæ ſedis apoſtoli/
cę rebus obeundis dexteritas, manditaq; ſolertia: ut in
teres taceam ubertimos dignitatū prouētus, ab ampliſ
ſima tua erga memoratā ſedē merita obtentos. Quibus
porro omnibus inſtructus adornatuſq; in ſupremū ec/
cleſiaſticæ poteſtatis culmen aſſumptus es. Quæ profe
cto res, ſi poſt incredibilem propinquorū affinitūq; bea
titudinis tuæ lętitiā, nōnullis, ut certe pluribus, grata
eſſe debet: ea ꝓculdubio Hieroſolymitani ordinis Ma/
giſtro nobiſq; omnibus ſupra uerū fidem & gratiſſima
& iucundiſſima. Crebro ſiquidem recolentes, quo amo
ris feruore, qua pietate, quo affectu, Sanctitas tua,
cum in minoribus eſſet, prælibatum ordinem conſtan/
tiſſime proſequuta ſit: ut eius etiam inſigne pluſculos
annos geſtare non paruiſecerit: memores inſuper, quā
peruigili ſtudio/cura/induſtria/atq; ſedulitate res no/
ſtras, æque ut ꝓpias, apud fœlicis recordationis Poō
tifices Leonē piētiſſimū eius fratrē germanū, & Adria/
num Sextū protexerit fouerit amplificarit: non defore
ſperamus, quin eo propenſiori animo, nūc afflictas ſit
ſubleuatura, quo glonoſios ſinceręq; amicitiæ cōueniē
tius eſt: in aduerſis iuuiſſe, quam in ſecundis arriſiſſe.
Huic etiā rei patrocinatur, q; prēter intimam tuę beati
tudinis erga nos beneuolentiam uereq; paternam dile/
ctionem: nulli mortalium maior quam tuę clementię
attributa eſt poteſtas, nobis opitulādi paratiorq; cōmo
ditas oblata. Quibus fit, ut & moderatius, quam infixi
doloris magnitudo patiatur, acceptam feramus cladē/

& nullos postac fortũnę impetus te uiuente pertimes/
camus. Ob quę, uerbis exprimi non potest, quanto ex
ultamus gaudio, ineffabiliq; iucunditate perfruimur.
Maximas superis gratias agentes, quod afflictionis
nostrę miserti, talem nobis in ipso urgentissimę neces
sitatis articulo, Pontificem tribuerunt; quo nec melio
rem, nec ordinis nostri amantiorem sperare, nedũ op
tare fas erat. Te itaq; Sanctissime pater, unicũ in ter/
ris Iesu Christi Vicarium, Summum Romanę Eccle
się Antistitem, ac indubitatũ Petri successorem agno
scimus/colimus/ueneramur. Tuaq; in clementia mi/
sericordissimi Redemptoris nostri Maiestatem, qua
possumus cordis puritate, adoramus. Et, ut rationi cõ
sentaneum est, gratulamur beatitudini tuę. Gratula/
mur apostolico solio. Gratulamur publicę Christia/
norum quieti. Quandoquidem futurum ominamur,
ut inclytis prouidentiæ tuę auspiciis, propediem seda
tis bellorũ procellis, tranquillitas pacis orbi reddatur;
exoptataq; tandiu in cõem hostẽ expeditio suscipiat;
Ad quod fortiter audendũ, cũ orthodoxę fidei defen
sio suadeat; uexatę toties laceratæq; Christianę plebis
miseratio impellat; ac instantis periculi, quod in om/
nes conflatur, necessitas urgeat; non est, ut tua San/
ctitas, alioqui per se satis animata, uerbosis cohorta/
tionibus excitetur. Tempus ergo nunc appetit Cle/
mentissime Pater: si quãdo alias, ut immanis illa fera
quæ nunquã cicurari & mansuescere didicit; cui nul
la res gratior, quã Christianorum cruor, quam cędes,

quã ante oculos trucidatio: quæ demum tot annos in noſtram ruit perniciem: tuo ductu atq; uirtute, concidat diſcerpatur intereat. Quod ſi (diuina fauente gratia) contigerit, quæ res unquã geſta eſt, præſtantior? quæ laudabilior? quæ glorioſior? Quas tunc iubilãtis ppli gratulatiões audies? Quos plauſus fieri cernes? Quibus laudum præconiis celebraberis? Quæ tam ingrata immemorue poſteritas, tantę rei gloriã non immortalitatis beneficio proſequetur? Sed iam melon/gius, quã rebar, progreſſum ad ſe reuocat: Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſter hic humilis, pauperũq; Ieſu Chriſti cuſtos. Qui poſt tot ærumnas conſtanti animo perpeſſas, domo tandẽm hac eius canicie eiectus / & uix e tanto naufragio emerſus: non habuit, quo & decentius & ſalubrius confugeret: quam ad ſacroſanctã hanc ſedem apoſtolicã, eiuſq; Sanctiſſimũ recolendæ memoriæ tũc Antiſtitem Adri. uti ſcilicet, caſus eidem ſuos exponeret, militiamq; ſibi creditã non alio, quam cœleſti auxilio, a tam rabidis Turcarum faucibus ereptam offerret dederetq;. Quod cũ p ingraueſcentem ualetudinem, breuiq; ſubſequutam præfati Pontificis ad ſuperos migrationem minime licuerit: nunc uero poſt prænarratum rei dolendę ſucceſſum, ac exhibitam Sanctitati tuę profuſa cum gratulatione uenerationem, ſe, ordinem ipſum, eiuſq; cõuentum, cui hactenus modeſtiſſime præfuit, quã maxime poteſt humilitate ac reuerentia ſedi huic Apoſtolicę, tuęq; clementię arctiſſime commendat eiusq;

protectioni penitus addicit. Quã suppliciter orat atq; obsecrat, ut eundem ordinẽ de Christiana Republica, cui maximo semper usui fuit, eritq; dum uiribus subsistet, optime meritum: ab hoc lamentabili statu, quo poterit auxilio, fauore & autoritate subleuare dignetur. Eius beneficia ad fidei tuitionem & piam hospitalitatem erogata, iubeat sedulo conseruari. Iura itidem constitutiones/usus/statuta/ordinationes/immunitates/exemptiones/& priuilegia quęcunq; per Romanos Pontifices ac sedẽ apostolicã Hierosolymitanę Religioi cõcessa inuiolabili cõfirmationis innouationisq; munimie roboret: eaq; nullatenus ob amissas rhodũ infringi abrogariue posse, decernat. Hortet quoq; xpianos principes: ut nobis faueant: & res nras in eorum dominiis sitas, tueãtur & protegant. Quæ omnia cum persuasissimum nobis sit, pater Clemẽtissime, te alacri promptoq; animo propediem effectuarum: minimeq; passurum utrantæ Religionis dignitas in hoc tui Pontificatus æuo corruat: nihil ultra nobis superest exposcendum, nisi ut summus rerum omnium opifex diutissimam perenni cum felicitate uitam Clementiæ tuæ largiatur.

Dixi.

Impressum Romæ per magistrum Marcellum in Campo Florę, xxx. die Decẽbris. M. D. xxiii.

1021 . 23

99 956175

1021.23

MC